61680/P

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE

INFLAMMATIONE.

QVAM
SUMMO FAVENTE NUMINE
Ex auctoritate Magnifici Rectoris,
D. JOHANNIS VOET, J.U.D.
Ejuſdemque Facultatis in Illuſtri Academiâ
Lugd.-Bat. Profeſſoris ordinarii,
NEC NON
*Ampliſſimi Senatûs Academici Conſenſu, & Nobiliſſimæ
Facultatis* MEDICÆ *Decreto,*
PRO GRADU DOCTORATUS,
Summiſque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis
ritè & legitimè conſequendis,
Publico examini ſubjicit
BALTHAZAR KIEVIT, HAGA-BATAV.
Die 3 Septemb., loco horiſque ſolitis.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,
Academiæ Typograph. MDC LXXXVI.

E B Krumbhaar

351077

Reverendo, Integerrimoque Viro,

D. SIMONI KIEVIT, Parenti chariſſimo, omni filiali amore ac obedientiâ ad extremum vitæ halitum proſequendo.

UT ET

Doctiſſimis, Graviſſimiſque Viris,

D. LUDOVICO SUGGERAET, Eccleſiæ quæ Jeſu Chriſto Hagæ-Comitis colligitur, verbi divini Præconi eruditiſſimo atque facundiſſimo.

D. JACOBO BOSCH, J. U. D. conſultiſſimo, Cameræ pupillaris, quæ eſt Hagæ-Comitis, Curatoribus à Secretis fideliſſimo, affinitate avunculis meis, ob collata in me beneficia nunquam non honorandis colendiſque.

D. ARNOLDO BOSCH, Med. Doct. apud Hagâ-Batavos expertiſſimo, practico feliciſſimo.

NEC NON

Clariſſimis, expertiſſimis, acutiſſimiſque Viris,

D. D. in Illuſtri Academiâ Lugd.-Bat. Profeſſoribus facultatis Medicæ celeberrimis, Promotoribus & Præceptoribus meis, omni honoris genere proſequendis.

Hanc ſtudiorum ſuorum Academicorum meſſem eâ, quâ par eſt, humilitate & reverentiâ

D. D. D.

BALTHAZ. KIEVIT,
Auctor.

WELLCOME LIBRARY

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

INFLAMMATIONE.

PROOEMIUM.

Cum , ut in celeberrimis Europæ totius Academiis , ſic & in hac , quæ nulli primas cedit , Lugduno-Batavâ, conſuetudo ferat , ut quivis Medicorum albo inſcribendus , ſtudiorum ſpecimen edat ; ac plurimas, eaſque præclaras in Medicinâ quæſtiones expoſitas enucleataſque fuiſſe , me non lateat , triennio amplius perilluſtris hujus Academiæ in Schola Medicâ diſcipulum ; quid luci , quid prælo , quid ſinceris , ac fuco omni alienis ſcientiæ Medicæ æſtimatoribus cultoribuſque darem ? diu animi pependi : tandem ne crebro ventilata reſumerem, & cranbem eandem ſæpius coctam recoquerem , quid novi & pro inaugurali diſputatione dudum intacti, inflammationem in genere putà diſcutere , nec non publico examini ſubjicere libuit : cujus explicatio brevis & clara ut tanto felicius ſuccedat , te Deum Opt. Max. ſupplex rogo , ut ſp. tui gratia aſſiſtas & gubernes hoſce conatus ut cedant in nominis tui gloriam & proximi ſalutem.

THESES

Antequam autem ad noſtram de inflammatione materiam deſcendamus, placuit nonnihil de œconomiæ animalis conſtitutione prælibare, ut ita ejuſdem fons & origo clarius detegeretur; quod ut melius ſuccedat, conſiderari velim corpus noſtrum eſſe in continuâ perſpiratione, cumque per hanc continuò aliquid de ſuo amittat, neceſſario alimentis indiget, quibus damnum, quod patimur per effluvia aſſiduè exſpirantia, reſarciri queat.

I.

Alimenta verò ſolummodò aſſumere minime ſufficit; ſed quia particulæ eorum ſubtiles, & ad nutritionem idoneæ, vinculis ſuis terreſtribus arctiſſime involutæ jacent, adeoque niſi expediantur & in libertatem vindicentur, in ſanguinis & partium ſolidarum nutritionem nequaquam cedere poſſunt, idcirco ut maſſa quædam corpori nutriendo idonea, ex alimentis oriri queat, illa in ore dentibus comminuantur, incidantur, omneſque ciborum particulæ majorem (ratione ſuæ molis) acquirant ſuperficiem, ſalivâ diverſis particulis imprægnatâ imbuantur, & ad fermentationem in ventriculo ſubeundam diſponantur, neceſſum eſt.

II.

Præterea notandum, quod poſtquam alimenta in ventriculum deſcenderunt, iis denuò occurrant ſimilia planè (exceptis dentibus) inſtrumenta mechanica, per vaſa gaſtrica, tam lymphatica (vid. *Rudbeckium in meſſe triennali aureâ anatomica Hemſterhuſii, tabulâ poſteriori quintâ*) quam arterioſa & nervoſa, ibidem depoſita, ſed copioſiora, quam quidem in ore; veluti hoc tam à priori quam à poſteriori demonſtrare valerem niſi brevis eſſe ſtuderem; Lectorem ſaltem remitto ad *Excellentiſſ. Virum Joannem Alphonſum Borellum in tractatu ſuo de motu animalium*, ubi aperte profitetur, ſe talem corrodentem in ventriculo inveniſſe

liqua-

liquorem; ſic etiam inſuper portio ſemper fermentatorum re- manet in ventriculo, quæ rationem fermenti reſpectu ſui diverſi ætheris conſtanter obtinet, non aliâ plane ratione ac piſtorum maſſa farinacea ſemel fermentata inſervire ſolet pro alio pane impoſterum fermentando.

IV.

Hæcce inſtrumenta, fermentum ventriculi ordinarium propriè componentia, per ſe nullum darent circa alimenta dividenda effectum, niſi inſuper cauſa aliqua movens ea in actum deduceret, hoc eſt in poros alimentorum valide adigeret; hæc autem eſt materia primi elem. ſive mundi ſubtiliſſima, quam incomparabilis Philoſ. *Deſcartes* ſolidiſſime demonſtrat nullibi propter ſubtilitatem poſſe includi, nullibi excludi, ſed omnes omnium corporum poros indefinite diverſos pervadere, vid. *Carteſ. princ. part.* III. *artic.* 49. *& ſeqq.*, quæque propter particularum diverſitatem ſummam undique diverſimode & fortiter movetur, illaque inſtrumenta jam recenſita, vehementiſſime adigit in poros maſſæ intus contentæ, & ſic eam commutare & dividere juvat in ſubſtantiam illam albicantem pultaceam vel pultaceâ potius liquidiorem, quam chylum Medici vocare ſolent, contribuentibus huc multum fotu & vaporibus partium circumjacentium, per poros ventriculi foris intro ſpectantes in eum irruentibus, nec non agitatione continuâ diaphragmatis, ſiniſtrum ventriculi orificium circumcingentis: cum enim per hanc agitationem & inde ſubſequentem preſſionem, alimenta ſitum ſuum continuo mutent, occaſio conceditur ætheri per ea fortius celeriuſque perruendi & per conſequens ulterius dividendi.

V.

Cum per anatomiam doceamur, chylum hunc, poſtquam dictam paſſus eſt fermentationem, partim propriâ fluiditate, partim preſſione partium circumjacentium propelli ad inteſtina, in quorum (præſertim tenuium ſive ſuperiorum) cavitates oſculis ſuis hiant innumera vaſcula, lactea vulgo dicta, quæ illum per

velamentum bombycinum tanquam pharmacopolarum filtrum percolatum transferunt per meſenterii ambages ad pancreas Aſellii & per vaſa lactea 2[di] generis ad receptaculum quoddam commune, (de quo ex profeſſo vid. *Peq. in experim. novis anatomicis*) ubi lymphâ ibidem ſeſe effundente diluitur, & ſic rurſus per ductum thoracicum ad venam ſubclaviam, & ex hac in venam cavam deſcendentem quæ illum cum ſanguine redeunte eructat in dextrum cordis ventriculum, ubi non diu manet, ſed ilico in vaſis illius truncum expellitur, cui nomen arteriæ pulmonalis impoſuerunt Anatomici; ex quo ulterius inſinuatur in innumeros canaliculos arterioſos pulmonum ſubſtantiam percurrentes, per quorum poros foris intro ſpectantes, particulas aëreas in inſpiratione ſuſcipit, donec tandem ad canales majores venoſos, maximumque venæ pulmonalis truncum perveniat, qui illum denique in ſiniſtrum cordis ventriculum evomit.

V I.

Hìc autem paulò mihi jam ſubſiſtendum puto; in corde enim ulteriorem adhuc fieri fermentationem & diviſionem firmiſſime concludo, eodem plane modo ac ſupra mox in ventriculi officinâ annotavi: primò enim eandem hìc, imò certe multò majorem habemus particularum pororumque diverſitatem, quam quidem illîc; ſanguis enim & humores, qui juxta leges circulationis, è corporis omnibus labyrinthis tam ſuperioribus quàm inferioribus, primo ad dextrum, deinde ad ſiniſtrum cordis ventriculum revertuntur, ſine ullo dubio magnam acquiſiverunt diverſitatem, prout diverſa peragrarunt partium ſolidarum ſtamina, quæ diverſitas ad ulteriorem in corde elaborationem, ſubtiliſationem & rarefactionem ſummam profectò contribuit ſymbolam: exemplo (quamvis rudi) nobis inſerviet ad rem illuſtrandam, ipſe ſpiritus vitrioli recens deſtillatus, hic enim capiti ſuo mortuo ſi reaffundatur, fermentationem cum eo notabilem ilicò efficiet, cum tamen antequam vî ignis, retortæ collum adſcenderat, placidè ipſi eſſet unitus; quanto igitur (proportione ſc. habitâ) majorem efformare invicem valebunt fermentationem, omnes illi corporis noſtri humores, qui poſtquam per varios vaſorum poros ſequeſtrati fueruut, nec non

per

per diverſos partium ſolidarum tubulos circulum ſuum abſolverunt; inde unà ſecum ad cor abripiunt varias diverſorum generum particulas? Secundò nec etiam deſunt hìc, proportione habitâ, inſtrumenta talia mechanica, qualibus mediantibus in ventriculo diviſionem fieri ſuprà demonſtravi; vaſa enim illa arterioſa, (coronaria vocant Anatomici) quæ cum propaginibus ſuis ad ventriculum cordis utrumque diſperguntur; cum ferventiſſimo ſanguine, proveniente ex arteriâ aortâ, quæ ordinarie vix latitudine unius pollicis à ſiniſtro cordis orificio diſtat, ſufficientem illorum ſuppeditat copiam, nec non nervoſa & lymphatica vaſa, quæ velut in omnibus corporis partibus, ita & hìc reperiuntur.

VII.

Quemadmodum etiam in ventriculo ſemper remanere dixi particulas quaſdam pro fermento novo inſervientes, ita etiam non magis denſa cordis latera tàm arcte ad invicem accedere poſſunt, ut omnis omninò intus contentus ſanguis ejiciatur, ſed ſemper adhuc aliquis remanet, quem ad chylum, ſanguinem, & lympham recèns advenientem fermentandum, unà cum aliis cauſis apprimè inſervire, non tam pro hypotheſi, quam quidem pro rei veritate aſſumo: porrò non minus hìc quam in ventriculo concurrit mater: primi element:, quæ rurſus tanquam cauſa ſine quâ non, omnem hic cauſat diviſionem & quoad colorem mutationem, cum enim motus ejus juxta axioma phyſicum, ſemper quantum fieri poteſt ſit ad lineam rectam, hìc verò talem motum rectilineum habere nequeat abſque notabili impedimento, quia valde diverſi, quoad magnitudinem & figuram reperiuntur pori, tranſmittentes alium atque alium ætherem; hinc valide ad latera deflectendo, non poteſt non tractu temporis maſſæ illius fluidæ particulas adeô exagitare, dividere & diſponere, ut ex ſuperficie ejus ad viſum noſtrum reflectatur color ille ruber amœnus, qui in arterioſo [illegible] ſanguine vulgo conſpici ſolet, cùm enim globuli ſecundi elementi ibidem in ſanguine offendant materiam primi elemen. illic indeſinenter percurrentem, & quidem valde celeriter ex uno poro in alium, hinc neceſſariò circa propria centra rotare coguntur,

&

& quidem multo celerius quam ab ullâ aliâ cauſâ cogi poſſunt; quia videlicet materia primi element. omnia corpora motus pernicitate ſuperat: Vid. *Cart. Meteor. cap.* VIII. quemadmodum etiam in ventriculo egregiam habuimus à diaphragmate conquaſſationem, ita & hic muſculoſum cor, indefeſſo motu ſanguinem exagitat, concutit, & per arteriam magnam ad omnes corporis noſtri partes propellit.

VIII.

Sanguis itaque in arterias propulſus, earum latera diſtendit & poros aperit, ita ut multas particulas poris convenientes ſingulis pulſibus per eos extrudat, quarum aliquas à ſanguine ſecretas, per continuam ſanguinis preſſionem per tubulos muſculorum circulari, nobiſque nutrimento inſervire ſtatuimus.

IX.

Verum quando per exercitia vehementiora, æſtum ſolis &c. ſanguinis motus ita augetur, ut ſolito majori impetu ruat in arteriarum tunicas, tunc poros earum reddit adeo amplos, ut non ſolum particulæ ſanguinis ſubtiles ſed & craſſiores ſalinæ rigidæ &c. illos arteriarum poros perruant in tubulos partium ſolidarum, per quos quidem durante ſufficiente motu liberè circulantur, ſed ſuperveniente ſubitaneo frigore, motus vehementior particularum circulantium ita retardatur, ut multæ particulæ, quæ antea libere intra ſphæras ſuas agitabantur, magnaque copiâ per poros avolabant, condenſentur, unde tubuli & pori ita collabuntur, ut dictæ particulæ ſalinæ rigidiores facilius hæſum eant, præſertim in partibus membranoſis & nervoſis, utpote quæ gaudent poris conſtantioribus & anguſtioribus.

X.

Cumque hæ particulæ ſalinæ in poros partium ita intruſæ, propter magnam, (tam quoad magnitudinem & figuram) inconvenientiam, eos ita inſolidum obſtruere nequeant, quin ad

late-

latera utrinque relinquantur pori minutiſſimi, materiæ ſecundi & tertii elem. impervii, hinc quia vacuum dari nequit in rerum naturâ, eos ſola materia ætherea perruit, quæ cum anteà libere per iſtos poros fluebat, jam verò inveniens eos anguſtatos, non poteſt non celerrimè & majorî cum impetu, quam antea, illa interſtitia perruere, ſecundùm illud axioma phyſicum; anguſtia loci debet compenſari per motus celeritatem: nec poteſt tam facile illa materia ex poris egredi, quam quidem ingreſſa eſt, ſic partes circumvicinas valde agitat, concutit, & cum magnâ vi per poros obſtructos erumpit, & ſui tranſitus dat manifeſta indicia, ut experiri eſt in chalybe ignito, aquæ frigidæ ſubitò immiſſo, indèque fragili facto.

X I.

Ex hac motus extraordinariâ celeritate producitur ſic noſtra, quam explicandam ſuſcepi, inflammatio, quam definimus, *quod ſit tumor nonnunquam ſenſibilis nonnunquam inſenſibilis, cum dolore nonnunquam tenſivo, pungente, ſcindente aut etiam pulſante, ardore, rubore, febri nonnunquam magis, nonnunquam minus acutâ & continuâ.*

X I I.

Videamus jam an ſecundùm ſupra jacta fundamenta, phœnomena illa omnia, ſive diagnoſtica ſigna commode poſſint explicari, tumor ſcilicet & dolor diſtenſivus oriuntur, quia particulæ obſtruentes ab humoribus à tergo venientibus profundius in poros adiguntur, tubulique preſſione à tergo diſtenduntur, ita ut fibrillæ incurrant periculum ruptionis, unde in mente idea doloris, qui variat pro diverſitate materiæ obſtruentis, ſi enim obſtructio facta ſit à particulis ſalinis, oritur dolor pungens, ſi à particulis acidis, dolor ſcindens & ſic porro, pulſans vero quando obſtructio facta eſt circa arteriam, ita ut propter vicinarum partium intumeſcentiam illa comprimatur, quæ compreſſio menti inſolita, dolorem excitat pulſantem. Ardor, qui in inflammatione percipitur, oritur, quia æther continuo per interſtitiola pororum obſtructorum motu ſuo velociſſimo, ſed

 pere-

peregrina cum determinatione & concuſſione partes circumvicinas valde agitat quaquaverſum & in omnes partes; differt itaque hic ardor à conſueto corporis noſtri calore, ſaltem quoad majorem ætheris agitationem, ejuſque magis peregrinam per poros determinationem: ruborem vero oriri putamus, quia globuli 2. elem. circa propriam axem rotari coguntur, uti jam cum de ſanguine ageremus, diximus.

X I I I.

Febrim quod attinet, ſtatuimus, eam ortum ſuum inde ducere, quod materia illa peregrina etherea celerrimo & rectilineo ſuo motu, ſanguinem & humores circa partem affectam circulantes in mixturâ ſuâ turbet; cum enim ſanguinis & humorum particulæ velociſſimo illi motui materiæ ſubtilis obſequi nequeant, detruduntur ubique ad latera, ſicque ſeceſſionem faciunt ab invicem, non aliter ac vinum aut cereviſia fulmine icta mixturam claram & lympidam amittit, ita ut quæ antea placido motu & juſto ordine per vaſa ſanguifera & tubulos muſculorum ferebantur, mox confuſo & turbulento motu moveantur, in quâ turbatâ ſanguinis mixturâ febrium eſſentiam conſiſtere ſtatuimus.

X I V.

Quod ſi facta ſit inflammatio in parte notabili, & internâ multis vaſis ſanguiferis gaudente, ſemper febrim acutam & continuam comitem habet, quæ non tollitur niſi ablatâ inflammatione, hoc eſt diſcuſſâ vel reſeratâ pororum obſtructione, ſi verò hæc inflammatio ſit in partibus externis, pauciſque vaſis ſanguiferis gaudentibus, febris non eſt adeò notabilis.

X V.

Differentiæ inflammationis variant, ratione loci & materiæ obſtruentis, ratione hujus variant inflammationis phœnomena, ratione vero illius varia acquirit nomina, E. G. inflammatio membranæ adnatæ oculorum dicitur *ophthalmia*, faucium *angina*,

mem-

membranarum cerebri vel hujus ſubſtantiæ, *phrenitis*, membranæ coſtas ſuccingentis, pleuritis, pulmonis, *peripneumonia* &c. ſi verò in cute facta fuerit obſtructio, *eryſipelatis* nomine venit, quarum omnium una & eadem eſt cauſa reſpectu habito ſalium diverſorum obſtruentium.

XVI.

Quantum ad prognoſin, periculoſus admodum hic eſt morbus, & interperacutos recenſetur, ſi inflammatio ſit interna & in parte quadam nobiliori, longè periculoſior quàm in parte externâ, ut patet in phrenitide &c. & quia medicamenta multum ſuarum virium amiſerunt, antequam ad partem affectam perveniunt, hinc ſpes diſcutiendi non ſemper æquè affulget, ſed ſæpius ſuppuratio; gangræna aliaque mala ſequuntur ſymptomata; ſi enim tractu temporis materia ſtagnans fermentationem ſubeat, (accedente peregrinâ & violentâ ætheris concuſſione) & ſuo motu & acredine tubulos perrumpat, ita ut humores in unum colligantur focum, deſcribunt illud; quod Medici vocant, *pus*. Verum ſi pori & tubuli tam pertinaciter obſtruantur ut pauciſſimus ſit humorum & ſpirituum influxus per partem inflammatam, oritur gangræna, quæ à ſphacelo differt ſaltem ratione majoris gradus obſtructionis, ita ſc. ut nullus planè humorum & ſpirituum animadvertatur influxus.

XVII.

Hiſce itaque conſideratis, ad curationem progredior, quæ præcipuè in eo conſiſtit, ut ſanguinis vehemens & extraordinarius motus ſiſtatur & ad priſtinam mixturam reducatur, quod obſtructionum reſeratione optimè peragetur.

XVIII.

Primo igitur ſanguinis motus imminuatur, ut vaſorum latera ita collabantur & pori anguſtentur, ut tantus non ſit in partem affectam impetus, quod potiſſimum fiet per V. S. in brachio, educendo ſanguinem ad ℥viij aut ℥x plus minuſve, pro ra-

ratione virium patientis, quæ neceſſitate urgente iterari poſſet; interim tamen huic ſoli non eſt acquieſcendum, utpote morbi cauſam non tollenti, ſed ſtatim poſt V. S. detur ſequens pulvis.

℞. Sal. prunel. ʒß.
Sacch. ſaturn. gr. iiij.
Camph. gr. iij.
Laud. opiat. gr. jß.
M. F. pul.

X I X.

Ad ſanguinis perturbatam mixturam reſtituendam & obſtructiones tollendas, conveniunt ſudorifera fixiora, quæ particulis ſuis conſtantioribus diu manent in ſanguine, & amicabilem ſecum advehunt ætherem.

℞. Theriac. rec. ʒj.
Regul. antim. Med.
Bezoard. miner. ana ℈ß.
Lap. prunell. gr. xv.
Laud. opiat. gr. j.
M. F. Bolus.

X X.

Ut autem diaphoreſis continuetur & ſanguis eò melius reducatur ad priſtinam mixturam, ſequens exhibeatur mixtura cochleatim ſumenda.

℞. Aq. Card. bened. ℥iiij.
Theriacal. ℥j.
Conf. Hyacint. ʒiß.
Bezoard. miner. ℈ij.
Lap. prunell. ʒiß.
Syr. papav. alb. ℥iß.
Laud. opiat. gr. ij.
Sp. nitri dulc. gutt. x.
M. F. mixtura.

XXI. S;

XXI.

Si dolores ſint valde atroces, poteſt Tinct. noſtra opii ex-hiberi, ſed notandum, quod ſemper à minimâ doſi opiatorum ſit incipiendum, niſi fuerit in morbi principio & conſtantibus adhuc ægri viribus, ſed ſi inflammationes diú duraverint vel vires exhauſtæ ſint vel gravedines ſentiantur hic illic in partibus, plane ab eorum uſu abſtinendum.

XXII.

Purgantia fortiora in omnibus inflammationibus notabilibus, cane pejus & angue vitanda, ſanguinem enim non ſolum acriorem reddunt, ſed etiam majorem in ſanguinem introducunt motum, ſi itaque alvus fuerit adſtricta injiciatur clyſter emolliens & laxans.

XXIII.

Exterius parti affectæ applicari poterit ſpiritus vini camphoratus vel theriacalis camphoratus; nam primis diebus ad ſuppurationem non eſt deveniendum, ſed omnia per inſenſibilem tranſpirationem diſcutienda & educenda ſi poſſibile ſit, non verò more imperitorum hoc tentandum per contraria, juxta illud axioma, contraria contrariis curantur, illâ enim methodo pori partium magis obſtruuntur unde non facile diſcutitur materia obſtruens ſed pertinacius hærendo obſtructiones parat nonnunquam inſuperabiles.

XXIV.

Si verò medicamentis præſcriptis, malum diſcuti non poteſt, ad maturationem eſt deveniendum, cataplaſmatibus emollientibus & maturantibus.

Tandem ad diætam pervenimus, quæ conſiſtit *in ſex rebus non naturalibus*, aër itaque ſit temperatus & ad calidum vergens, cibi ſint bonæ nutritionis, ut juſcul. carnium vervec. vitul. gallinar. &c. pulticulæ ex hordeo cum lacte dulci coct. potus ſit cerevifia mollis, ſomnus ſit ſolitò longior, alvus reſpondeat, animi pathemata & exercitia vehementiora fugiantur; plura hìc quidem addi poſſent ſed brevitati ſtudentes huic diſputationi imponimus.

F I N E M.

COROLLARIA.

I.

Calida valent refrigerare.

II.

Et ſubtilia incraſſare.

III.

Oculus non videt, nec auris audit.

IV.

Nec ulla pars corporis noſtri ſentit.

V. *In-*

V.

Intemperies partium ſolidarum nulla datur.

VI.

In ſaniſſimi hominis corpore ſemper dantur & dari debent catarrhi.

VII.

Nulla pars corporis noſtri ſolida vaſorum lymphaticorum eſt expers.

VIII.

Panacæam qui quærit, nodum in ſcirpo quærit.

IX.

Flatuum & ructuum curatio non conſiſtit in ipſorum emiſſione.

X.

Hinc parum iis in caſibus poſſunt vulgaria *Medicorum carminativa, flatuſque ejicientia valde volatilia.*

FINIS.

Doctiſſimo atque Solidiſſimo Viro

D°. BALTHAZARI KIEVIT.

Cum pro Laurea Doctorali publicè diſputaret.

Dum flammas memoras, flammatâ ex parte vibranteîs,
Flammea dexteritas emicat ipſa tuis.
Flamma tui ingenii flammas imitatur Olympi,
Cumque tuis flammis frigida corda moves.
Nunc porrò te Fata vocant: Patriæque ſüavis
Ardor & Hagenſis te remoratur humus;
Quæ tibi victriceîs nutrit lætiſſima lauros,
Implicitura tuæ debita ſerta comæ.

Feſtinante calamô exaravit

JOHANNES BROEN,

Med. Doct.